

AD COMMENTARIVM de Præsulibus ANGLIÆ, per FRANCISCVM GODWINVM, Episcopum tunc LANDAVENSEM, modo HEREFORDENSEM, editum *Anno* 1616.

Appendix.

Ad Archiepiscopos CANTVARIENSES.



DEo, Regi, Ecclesiæ, reiq; publicæ, præclaram adhuc nauat operam Georgius Abbot, Archiepiscopus huius sedis Metropoliticæ, & nauabit spero quam diutissime; vt cómentario meo hac in parte non sit opus aliquid adijcere; nisi hoc forte silentio non videatur prætereundum, quod non modo Guilfordiæ (vbi natus est) Ptochotrophium eum fundare (opus sane egregium ipsaq; structura splendidum) sed etiam in vrbe Cantuariensi Aquæductum, publico ciuium commodo construere hoc ipso tempore, quando a me hæc scribuntur, audiam.

Ad Episcopos LONDINENSES.

MArtij 30. 1621. diem clausit extremum Ioannes Kyng, Episcopus Londinensis, sexagenario maior, postquam ex calculo in vesica concepto, cruciatus ingentes magna animi constantia diu tolerasset. De hoc Antistite paulo post obitum, rumusculi clam dolo malo sparsi sunt; deserta religione, quam per omne vitæ curriculum propugnasset, ad Pontificios desciuisse, atque per sacrificulum quendam Romano-catholicum (T. Prestonum) Ecclesiæ Romanæ reconciliatum, in Pontificiæ religionis professione mortuum. Huiusce figmenti author, cum diu frustra quæreretur; ex qua officina prodierit, res ipsa indicauit. Ex mendaciorum seminario Duaci, emissus est * libellus Septembri mense, & à Kellisono approbatus hoc obiter narrans & exprobrans, vbi tamen reconciliantis nomen visum reticere. Prestonus igitur hac de re examinatus, in verbo sacerdotis professus est coram Archiepiscopo Cantuariensi, iterumq; D.D. Thoma Edmondo, & Georgio Caluert Conciliarijs Regijs, se dictum Episcopum ad eum vsque diem, nunquam vel conuenisse vel vidisse, vel aut verbo aut scripto cum illo aliquid rei vsquam habuisse. Ad laborantem visitandum & consolandum, commearunt frequentes Episcopi venerabiles, Couentrensis ac Lichfildensis, Bathonensis & Wellensis, Eliensis, ac deniq; biduo antequam decederet, reuerendissimus Archiepiscopus Cantuariensis. Neque his, neque familiarium aut amicorum cuiquam, de hac re aliquid suboluit. Voces, gemitus, actiones omnes, pristinam pietatem, religionem, Zelum, constantiam spirabant. Cæterum huius commenti vanitatem nihil manifestius redarguit, quam id quod omnium rerum gessit postremum; adeo saltem postremum, vt alimenti quippiam postea non degustarit. Per aliquot antea

* The Protestants plea for Priests and Papists.

antea dies nauseabundus, esculenta & poculenta omnia fuerat auersatus: viatico tamē corporis ac sanguinis Dominici se cupidus muniendi, vim sibi hac in parte voluit adferre. Qui ministri munere fungeretur, accersitur D. Cluet, Archidiac. Middlesexiæ, Capellanus eius domesticus: Vniuersa familia congregatur, amici adsunt complurimi, inter eos D. Henricus Martin, Eques auratus, legum Doctor, atque Cancellarius eius. His coram, sacræ synaxeos fit particeps, administratæ ritu per Canones & ordinationes Ecclesiæ nostræ præscripto. Siquis de hac re plura auet cognoscere, concionem legat typis editam, ad crucem Paulinam habitam per Henricum Kyng huius Episcopi primogenitum (filium tanto dignum parente) in qua hæc omnia, eleganter, prolixe, ac sigillatim explicantur quæ à me sunt tradita, atque mihi per testium plurimorum fide dignorum asseuerationem compertissima. Ecquis iam sanæ mentis tam hebes est, vt istius commenti vanitatem si oculis non perspiciat, at manibus non possit palpare? Haud credo. Isti tamen tenebriones tam clare conuicti, vt manus dent adeo procul est, vti sub ipsum tempus quando hæc à me scribuntur, alium adhuc de hac re libellum emiserint (stolidum sane, bombis refertum & sesquipedalibus verbis) ceu potius partum ediderint tam portentosum, vt illius similem mortalium nemo vnquam conspexerit; à patre nimirum genitum, quem certum est prius vita defunctum, quàm is, tanquam nescio quæ Minerua, in cerebro conciperetur, non Iouis, sed Iesuitæ. Conscriptum eum placet fingere, ab Episcopo hoc nostro adhuc superstite; in quo si Dijs placet, fratres in primis omnes Coepiscopos Anglicanos hortatur enixe, vt deserta & eiurata religione quam profitemur, ad Romanistarum castra transfugiamus. Hanc lucubrationem, amico cuidam ab illo traditam paulo ante mortem comminiscuntur, cum mandato, vt ipso ab hac luce subtracto, tum demum ederetur in publicum. Amicum istum nominare, illis (credo) haud fuerit in promptu. Sed autographum cur non ostendunt, vt ex manu & scriptura agnoscatur? Non facient

The Bishop of Londons legacie.

 certe.

certe. Quare, si cui cordi sit, istius tam præclari opusculi verum authorem, spurij tam portentosi (sed reuera subdititij) parentes inuestigare; consulat hortor Fisherũ Iesuitam in nouo carcere Londini conclusum, cui, vnde id prouenerit haud est obscurum. Si quem nunc subeat admiratio, istis quid veniat in mentem, quod calumnias tam putidas & ab omni tam probabilitate quã veritate alienas, fronte perfricta, mundo non vereantur iterum atque iterum obtrudere; legat, obsecro, libellum cuius primo in loco feci mentionem, vbi (vt alia mittamus) me decies ad minimum citauit testem, locum vbique designans, huiusce nostri Episcoporum Anglicanorum Catalogi, cum vel nihil ijs de rebus à me traditum ibi loci reperiatur, vel etiam quod allegantis proposito plane aduersetur. Vt Pontificiæ religionis scitum videatur & dogma iam Catholicum, calumniandum fortiter, quo aliquid saltem adhæreat. Percontandum certe pari ratione, fide, ac fronte, cur nos etiam, Gregorium 14. Papam ad Iudaismum, Bellarminum ad Mahometismum paulo ante mortem non mentiamur apostatasse, vt pro calumnijs calumnias regeramus. Nos autem præsidia talia vanitatis cultoribus relinquimus; veritatis asseclas sinceritati decet studere. Virum pietate, eruditione, admirabili facundia & docendi assiduitate insignem, optare istos suis adnumerandum, non miror. Cæterum ille superstitiones Papisticas ab ineunte ætate ad extremum vsque halitum semper auersatus, totus haud dubie noster, ipso die quem Dominicę passionis memorię nostra consecrat Ecclesia, videlicet Martij 30. 1621. quemadmodum vixit, tam piè in Christo obdormiuit, vt mihi subeat optare,

Sic mihi contingat viuere sicque mori.

In Ecclesia sua Paulina tumulatus est, vbi sepulchro, hoc vnicum vocabulum præcepit inscribi, RESVRGAM.

87. GEOR

87. GEORGIVS MOVNTAIGNE.

HVic demortuo suffectus est Georgius Mountaigne, ab Ecclesia Lincolniensi per legitimam confirmationem huc translatus, Iulij 20. 1621.

Ad Episcopos WINTONIENSES.



IVnij 18. 1616. excessit è viuis Thomas Bilsonus venerabilis ille Wintoniensis Episcopus, Westmonasterij, vbi iacet sepultus ab australi parte Ecclesiæ, iuxta monumentum Richardi secundi Regis.

68. IACOBVS MOVNTAGV.

SVccessor illi mox declaratur, Iacobus Mountagu (cuius memoria mihi cum omni gratitudine celebranda) Bathonensis ac Wellensis Episcopus, translatus Octobris 4. 1616. quem in Senatum arcani Regis Consilij admissum, florente iam ætate, ictero nigro atque hydrope sublatum, morte raptum immatura summo non sine luctu amisimus, Iulij 19. 1618. Bathoniæ sepultus est, in templo tantis sumptibus à se restaurato, prout in Commentario nostro iam antea est expositum. 1616. Iacobi R. 14.

69. LANCELOTVS ANDREVVS.

ÆTate iuniori successit longe prouectior, senex ter venerandus, ab Eliensi sede ad Wintoniensem translatus, Lancelotus Andrews, Februarij 25. 1618. stylo Anglicano, communi vero 1619. In album eorum paulo post adscriptus qui Regi nostro sunt ab arcanis Consilijs. Prouinciam sibi demandatam (sicuti par est tantum Præsulem) nauiter satagit administrare. 1618. Iacobi 16.

Ad Episcopos ELIENSES.

37. NICOLAVS FELTON.

1618. Iaco. R. 16.



D Wintoniensem sedem ab Eliensi translato Lanceloto Andrews; Febr. 25. sufficitur Nicolaus Felton, Episcopus Bristoliensis, Martij 11. sequenti, hoc est diebus 14. ante annum 1619. inchoatum.

Ad Episcopos LINCOLNIENSES.



Ichardus Neilus (de quo apud Lincolnienses in Commentario nostro postremo fecimus mentionem) hinc translatus est ad Sedem Dunelmensem.

42. GEORGIVS MOVNTAIGNE.

1617. Iaco. R. 15.

HVic tunc preficitur Ecclesiæ Georgius Mountaigne, sacræ Theologiæ Doctor, Westmonasteriensis Decanus, consecratus Decembris 14. 1617. Hinc migrauit Londinum, translatus Iulij 20. 1621.

43. IOANNES WILLIAMS.

1621. Iaco. R. 19.

DEcanus itidem Westmonasteriensis Ioannes Williams, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, Regiæ Maiestati ab arcanis consilijs, & magni Angliæ sigilli Custos, Decanatus sui Commendatarius iam futurus, in Episcopum Lincolniensem consecratur Westmonasterij Nouembris 11. 1621. postquam huiusce Lincolniensis Ecclesiæ per annos 11. fuisset Canonicus Residensarius, ac deinde Sarisburiensis Decanus. In Præsule hoc dignissimo (non sine summa pientissimi Regis laude) Sacer Ordo quasi

quasi postliminio recuperauit sacratum Regiæ Conscientię depositum hoc est, publicæ æquitatis dispensationem. Pergat qui cœpit, tortuosos litium Labyrinthos explicare, & tricas subinde in subditorum grauamen oborientes, quasi Hydræ capita fœlici dextra amputare.

Ad Episcopos COVENTRENSES & LICHFELDENSES.



Oannes Ouerall ad Ecclesiam Norwicensem, electionis legitima confirmatione translatus est ab hac sede Septembris 30. 1618.

72. THOMAS MORTON.

THomas Morton Episcopus Cestrensis huc transfertur Martij 6. 1618 stylo Anglicano. 1618. *Iaco.16.*

Ad Episcopos SARISBVRIENSES.



Ondum sexagenarius Robertus Abbot vitam cum morte commutauit, cum sedisset supra annos 2. menses 3. Martij videlicet circiter 2. 1617.

44. MARTINVS FOTHERBY.

SVccessit illi Martinus Fotherby, sacræ theologiæ Doctor, consecratus Aprilis 19. 1618. Temporis diuturnitate quo præfuit, antecessore nihilo fœlicior, nondum biennio completo, debitum naturæ persoluit mense Martio, sub finem anni 1619. Cætera pro me narrabit Epitaphium frontispicio tumuli inscriptum, in Ecclesia Omnium Sanctorum visendum, Londini in vico vulgo Lumbard-street nuncupato. 1618. *Iaco.16.*

Depositum.

Depositum.

R. In Christo patris ac D. D. Martini Fotherby, olim Sarisburiensis Episcopi, qui ex antiqua & vere generosa de Grimsley magna in Comitatu Lincolniensi familia oriundus; Cantabrigiam inde accitus, & collegij S. Trinitatis Socius meritissime cooptatus, singulis atq; ordine summis Academiæ gradibus est insignitus. Hic postquam celebris, Ecclesiæ Cathedralis ac Metropoliticæ Christi Cantuariensis Præbendarius annos 22. perdurasset; tandem per serenissimum Regem Iacobum (cui & a sacris erat) ad Episcopatum Sarum euectus est. Vixit, omni scientiarum, humanarum, diuinarum genere vir instructissimus; concionator idem disertissimus; hæresin & hypocrisin validissime perosus; vitæq; ac morum tum grauitate tum suauitate eximius; exteriori corporis decore spectabilis; politiori sermonis elegantia præstans; potioribus animi dotibus adornatus, memoria nempe fideli, ingenio fœlici, iudicio acri, & in rerum administratione prudentia admirabili; omnibus sane numeris quos humana capit conditio adeo consummatus, vt vel primarijs viris facile exæquandus, nullis exuperãdus esset. Aduersus Atheos doctissimum opus instituit; cuius auspicium, & quasi vestibulum, Londini (heu moriens) typis mandandum reliquit. Corpus hic Sepulchro donari petijt sub beata resurrectionis spe. Spiritum ipse suum immortalem, patri spirituum pie placideq; reddidit Martij 11. anno æræ Christianæ 1619. ætatis suæ 60.

45. ROBERTVS TOVNSON.

1620. *Iaco. R.* 18. IVlij 9. 1620. consecratus est in Episcopum huius Ecclesiæ Robertus Tounson, sacræ Theologiæ Doctor, & Westmonasteriensis Decanus. Hic etiam exiguo tempore consecrationi suæ superstes, anno nimirum nondum circumacto, ab hac luce subtractus est, circa medium mensis Maij proxime sequentis.

46. Ioannnes Davenant.

NOuembris 18. 1621. Ioannes Dauenant sacræ Theologiæ Doctor, & Collegij Reginæ Cantabrigiæ Præses, Prælector Theologicus D. Margaretæ, ad hanc Sedem est consecratus vnà cum Exoniensi & Meneuensi electis. Sic annis nondum septem transactis, quinq; viderunt Sarisburienses Ecclesiæ suæ Episcopos, qui omnes eadem in sede defuncti sunt, præter hunc qui hodie præest. Hic vnus fuit ex Theologis illis nostratibus, qui Synodo Dordrechtanę annis 1618. & 1619. interfuerunt. 1621. Iaco. R. 19.

Ad Episcopos Bathon. & Wellen.

32. Arthvrvs Lake.



D sedem Wintoniensem translato Iacobo Mountagu Octob. 4. 1616. Arthurus Lake sacræ Theologiæ Doctor, Wigorniensis Decanus, & Collegij siue Ptochodochij sanctæ Crucis Wintoniæ Præfectus, consecratus est in huius Ecclesiæ Antistitem vna cum electo Bangorensi, Decembris 8. 1616. 1616. Iaco. R. 14.

Ad Episcopos Exonienses.



Vlielmus Cottonus cum huic sedi annos ferme 22. præfuisset, Augusti 26, 1621. octogenarius vitam cum morte commutauit.

39. Valentinvs Cary.

ECclesiæ Cathedralis D. Pauli Decanus, Valentinus Cary, sacræ Theologiæ Doctor, & Collegij Christi Cantabrigiæ Præses, consecratus est in Episcopum Exoniensem vna cum Sarisburiensi & Meneuensi electis, Nouembris 11, 1621. 1621. Iaco. R, 19.

Ad Episcopos Norvvicenses.

Oannes Iegon Episcopus Norwicensis, mortem obijt Martij 13. 1617. stylo Anglicano, cum sedisset supra annos 15. dies 21.

38. Ioannes Overall.

Svccessit illi Ioannes Ouerall, Couentrensis & Lichfel-
1618. densis Episcopus, confirmatus Septembris 30. 1618.
*Iacob.R.*16. Vir (si Deo sic visum) longiori vita dignus, anno proxime sequenti obijt.

39. Samvel Harsnet.

1619. Episcopus Cicestrensis Samuel Harsnet, huc translatus
*Iacob.R.*17. est, Augusti 28. 1619.

Ad Episcopos Wigornienses.

Agno sui desiderio relicto, Henricus Parry Paralyticus decessit Wigorniæ annos natus 55. Decembris 12. 1616. & in capella B. Mariæ iacet humatus, è regione tumuli Bullingamiani.

83. Ioannes Thornborovgh.

1616. Februarij 17. 1616. Ioannes Thornborough, Limeri-
*Iacob.R.*14. censis in Hibernia primum, ac deinde Bristoliensis Episcopus, ad hanc sedem est translatus, in qua viuit etiamnum, mihique vicinus optimus, amicus amantissimus, viuat vtinam diù.

Ad Episcopos Herefordenses.

Onga fatigatus ægritudine, septuagenario maior decessit Robertus Benet, antecessor meus, Octobris 25. 1617. & ab aquilonari parte Presbyterij sepultus est, vbi ab hæredibus tumulum videre

dere eſt extructum, alabaſtrinum, perpulchrum ſane & illius memoriæ conſecratum. Ab iſto & Weſtfalingo, ædibus Epiſcopalibus tam Herefordiæ quam Whitbornæ, multum acceſſit & augmenti & ornamenti, id quod gratitudinis ergo libenter commemoro.

72. FRANCISCVS GODVVYN.

BEnetto ſucceſſurus, ab Eccleſia Landauenſi tranſlatus, & in Epiſcopum Herefordenſem confirmatus fui Nouembris 28. 1617. Humeris infirmis onus impoſitum tam graue, Deo Opt. Max. vires ſubminiſtrante, vtinam ſic valeam geſtare, vt ad Dei gloriam atque Eccleſiæ id cedat vtilitatem. *1617. Iaco. R. 15.*

Ad Epiſcopos CICESTRENSES.


SAmuel Harſnet ab hac Ciceſtrenſi ſede ad Norwicenſem tranſlatus eſt (prout antea retulimus) Auguſti 28. 1619.

48. GEORGIVS CARLTON.

SVcceſſor illi tum deſignatur, Georgius Carlton Epiſcopus Landauenſis, cuius electio confirmata eſt Septembris 20. anno prædicto 1619. *1619. Iaco. R. 17.*

Ad Epiſcopos ROFFENSES.


ECcleſiæ Roffenſi etiamnum præeſt Ioannes Buckrigius, de quo non eſt opus aliquid adijciam ijs quæ in Commentario meo iam antea perſcripta ſunt. Liceat tantummodo amico valetudinario ſanitatem corporis firmam, fœlicem ac diuturnam exoptare, ne tanti viri iacturam faciant immaturam, Eccleſia, reſp. amici. Conſecratus eſt (non vt in Commentario) Iulij ſed Iunij 9.

Ad Episcopos OXONIENSES.

OXoniensium Episcoporum quartus Ioannes Brigesius, nonagenarius decessit Martij 26. 1618.

5. IOANNES HOVVSON.

1619. *Iaco.R.*17. IOannes Howsonus sacræ Theologiæ Doctor, & ædis Christi Oxoniæ alumnus primum mox Præbendarius, consecratus est in Episcopum eiusdem Ecclesiæ vna cum Cestrensi & Bristoliensi Maij 9. 1619. natali suo, quo nimirum ipso die tertium supra sexagesimum ætatis annum ingressus est. Vir quam eruditus, lucubrationes testantur in publicum emisse; cæteris porro virtutibus Episcopalibus quam instructus, de veteri ac coniunctissimo amico quam libenter commemorarem, si instituti mei ratio id pateretur.

Ad Episcopos GLOCESTRENSES, atque etiam PETROBVRGENSES.



E Glocestrensibus aut Petroburgensibus Episcopis non habeo quod perscribam, permanentibus adhuc in illarum Ecclesiarum præfectura viris grauissimis, Milone Smith & Thoma Doue, de quibus a me iam antea mentio facta est in Commentario.

Ad Episcopos BRISTOLIENSES.



Sede Bristoliensi ad Wigorniensem translatus est Ioannes Thornborough Februarij 17. 1616. sicut antea inter Wigornienses retulimus.

7. NICOLAVS FELTON.

1617. *Iaco.R.*15. NIcolaus Felton sacræ Theologiæ Doctor, & Aulæ Penbrochianæ Cantabrigiæ Præses, consecratus est Decembr. 14. 1617. & post menses 15 videlicet Martij 14. 1618. stylo Anglicano ad sedem translatus Eliensem.

8. ROLAN-

8. ROLANDVS SEARCHFIELD.

ROlandus Searchfield sacræ Theologiæ Doctor, Capellanus Regius, & Collegij S. Ioannis Baptistæ 1619.
Oxon. nonnunquam socius, in Episc. Bristoliensem conse- Iaco.R.17.
cratus est vna cum Oxoniensi & Cestrensi Maij 9. 1619.

Ad Episcopos MENEVENSES.

AB hac sede ad Carleolensem translatus est Richardus Milborn, sub exitum Septembris. 1621.

89. GVLIELMVS LAVVD.

COnsecratur illi in successorem Gulielmus Lawd, sacræ Theologiæ Doctor, & Glocestrensis Decanus, 1621. Iaco.R.19.
Collegij D. Ioannis Oxoniæ primum socius, ac deinde Præses, Nouembris 18. 1621. vna cum Sarisburiensi & Exoniensi electis.

Ad Episcopos LANDAVENSES.

AB Ecclesia Landauensi ad Herefordensem ego sum translatus, Nouembris 28. 1617.

69. GEORGIVS CARLTON.

IN Ecclesia Landauensi successorem habui Georgium 1618.
Carlton sacræ Theologiæ Doctorem, Mertonensis o- Iaco.R.16.
lim collegij Oxoniæ socium; cuius lucubrationes eruditorum manibus quotidie teruntur. Cõsecrationis ritibus inauguratus est, Iulij 12. 1618. Hic loci nondum plane consederat, cum in Belgium amandatus est vna cum alijs aliquot Theologis ad Synodum Dordrectanam; in qua & iudicium de quinque controuersis doctrinæ capitibus natum, & confessio antiqua reformatæ Ecclesiæ Belgicæ, quoad fidei quidem dogmata, à Britannis Theologis est approbata: Quod vero attinet ad articulos eiusdem confessionis 30. 31. & 32. (in quibus de regimine agitur Ecclesiastico)

clesiastico) non modo Synodo non sunt propositi, sed & contra eosdem (vtcunq; silentio prætermissos) per Episcopum & collegas Britannos, apertis verbis strenue interpellatum est, rationibusq; solidis reclamatum; ad quas à reliquis Synodicis omnino nihil regestum est.

70. THEOPHILVS FEILD.

1619. Iaco. R. 17. THeophilus Feild sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis consecratus est, Octobris 10. 1619.

Ad Episcopos BANGORENSES.

MIgrauit ex hac vita Henricus Rowlands mense Iulio 1616.

44. LVDOVICVS BAYLY.

1616. Iaco. R. 14. SVccessorem is habuit Ludouicum Bayly sacræ Theologiæ Doctorem, consecratum vna cum Bathonensi & Wellensi electo Decembris 8. 1616.

Ad Episcopos ASAPHENSES.

IN Asaphensis Ecclesiæ præsulatu, Richardus Parry adhuc permanet.

De Prouincia Cantuariensi hactenus.

Ad Archiepiscopos EBORACENSES.



Euerendissimus ille Tobias Matthæus, qui ante annos ferme 16. ad hanc sedem Metropoliticam translatus est; annis iam completis à prima consecratione 28. à quo vero Theologiæ Doctor creatus, annis 48. Præsulatus tanti laboribus adhuc (si quisquam) par, exemplo esse potest inter paucos, viris eximijs & virtutum laude præstantibus, longæuam vitam nonnunquam contingere.

Ad Episcopos DVNELMENSES.

42. RICHARDVS NEILE.



Ctobris 9. 1617. Richardus Neile Episcopus Lincolniensis, per electionis legitimam confirmationem huc transfertur. Honestis parentibus hic natus est Westmonasterij, & in ludo literario ibidem educatus, donec in numerum cooptatus est studiosorum, in Collegio D. Ioannis Cantabrigiæ degentium. Sacris initiatus, capellanus fit Nestoris Anglicani Gulielmi D. Burghleij, per cuius viuentis gratiam, ac ipso defuncto Roberti filij, Comitis Sarisburiẽsis, primos dignitatum gradus conscendit; *Xenodochij Sabaudiani* Londini præfecturam, & sacerdotia de Chesthunt ac Tuddington, Decanatum deinde Westmonasteriensem (quem etiam tenuit Commendatarius, postquam anno 1608. Episcopus Roffensis factus est) ac denique munus honestissimum, Clericatus, Regi ab Oratorio sacro priuato constitutus regni fere sub initium. In his locis nihil habuit prius aut antiquius, quam ædificia labefactata reficere, ac pristino nitori primo quoq; tempore restituere. Hoc ipsum ædes testantur sacerdotiorum prædictorum, prout Bromleienses, Bugdenenses, ac deniq; arx Dunelmensis, cuius structuræ faciem ita immutauit in melius, vt eundem esse locum non facile agnoscas. Inter alia porro, capellæ ædium Auklandensium tectum imposuit, vitro fenestras obduxit, & priscæ vsque quoque restituit pulchritudini, quæ tanta est, vti paucis in Anglia cedat, adeo vt elegantissimæ illæ Etonensis, & S. Trinitatis Cantabrigiæ, inde ferantur olim mutuatæ exemplar. In Dunelmensibus autem solis tria librarum millia impendit, aureorum Gallicorum plus 10. millibus præter 1000. marcas in Lincolniensibus. Cæterum istius præsulis omnia bene facta facile non fuerit commemorare. In curriculo cæpto, diu detur vtinam persistere; bonos protegendo, & (sicut hactenus) gratia

1617. *Iaco. R.* 15.

gratia atque authoritate nusquam abutendo, ad quenquam per vim iniuste opprimendum.

Ad Episcopos Carleolenses.

Henricus Robinson excessit è viuis Iunij 11. 1616.

36. Robertus Snowdon.

1616. Iaco.R.14. Robertus Snowdon sacræ Theologiæ Doctor successit, Eboraci à Metropolitano suo consecratus. Sub initium mensis Maij decessit 1621.

37. Richardus Milborn.

1621. Iaco.R.19. Richardus Milborn ab Ecclesia Meneuensi huc translatus est sub exitum Septembris 1621.

Ad Episcopos Cestrenses.

9. Thomas Morton.

1616. Iaco.R.14. Eorgio Floyd Episcopo defuncto, Thomas Mortonus sacrę Theologiæ Doctor, Cantabrigiensis Academiæ alumnus, & Wintoniensis Decanus, post errores Pontificios neruose ab illo scriptis editis confutatos, in Episcopum huius Ecclesię consecratus est Iulij 7. 1616. Inde triennio nondum exacto, ad sedem Couentrensem ac Lichfeldensem translatus est, videlicet Martij 6. 1618. stylo Anglicano.

10. Ioannes Bridgeman.

1619. Iaco.R.17. Ioannes Bridgeman sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis successit illi, consecratus Maij 9. 1619.
